

132

gustus e morbo, quo periculossime Brundusii affligebatur, recreatus fuit, statim milites in Colonias cepit deducere, quã in re Italicorum certe animos acriter offendit, verum, ut ait ibidem Appianus, milites præclare sibi conciliavit *prompta erga largitorem gratiã, cui agros, Urbes, pecunias acceptas ferebant*. Id egre ferens L. Antonius M. ñViri frater, tunc Consul, vel deductionem in fratris adventum differri, vel in partem divisionis agrorum eam, quã ad M. fratrem pertinebat, recipi se postulavit. Dio lib. XLVIII. *Cæsar secundum id, quod cum Antonio post victoriam fecerat pactum, omnibus suis Antoniiisque militibus dividere agros volebat, ut eorum sibi animos benevolentiam obstringeret: Antonius, & Fulvia [M. ñViri Vxor] suis militibus competentem partem ipsi assignare, ipsique Colonias deducere volebant, ut eorum vires sibi adjungerent: videbatur enim utrisque expeditissima ratio bona inermium suis militibus largiri: Appianus eod. lib. V. His animadversis Antonii Frater Lucius, tunc Consul, & ejusdem Uxor Fulvia, & qui absentis bona procurabat, Manius, ne Cæsaris videretur totum hoc beneficium, neve soli deberetur gratiã, & alter Imperatorum fraudaretur favore militum, vaframentis agebant, ut Coloniarum deductio differretur in adventum Antonii: quod quum impossibile videretur propter festinationem militum, petebant a Cæsare, ut Antonianos ipsi deducerent in Colonias, quamvis ex pacto id munus Antonius soli Cæsari cesserat, quod tamen concessum negabant. Quum vero parum Lucius & Fulvia expositionibus proficerent, ad exercitum versi, ipsius M. Antonii liberis circumlatis, obtinuerunt a Cæsare, ut ipsi Antonianos in Colonias deducerent; ita Appianus qui multo exactius, quam Dio, hæc narrat lib. V. Civil. *productaque ad exercitum Fulviã cum parvis Antonii liberis invidiose supplicabant, ne paterentur illum fraudari suã gloriã, simul occasione referenda ipsis gratia. Et erat tum inclitum Antonii nomen, & apud milites, & apud ceteros, nam Philippensis Victoria propter adversam Cæsaris valetudinem tota videbatur unius Antonii. Cæsar quamvis non ignarus pacta violari, cessit tamen in gratiam Antonii, atque ita Legiones Antoniana in Colonias deducta sunt, nimia deductorum militum licentiã, dum ne videretur Cæsar beneficentiã vincere, minus cobibentur a maleficiis. Id vero statim L. Antonium fecisse vel ex eo constat, quod ante bellum eodem anno inter L. Antonium, & Augustum exorto, Antoniani in Colonias deducti jam fuerant: narrat enim Appia-**